



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Stella Benedictina Sive Regula Sanctissimi Patris Nostri  
Benedicti**

**Meyenschein, Benedikt**

**Hildesii, 1725**

**VD18 10311831**

VIII. De Officiis Divinis in noctibus. Tempore signato fas est consurgere  
strato Ad recreat a thoro membra a dicanda Choro.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65028)

- o) *Adjective, seu libero.*  
 p) *Id est, per gratiam Spiritus S.*

IO. FEBR. II. JUN. II. OCTOB.

CAPUT VIII.

*De officiis Divinis in noctibus.*

**H**yemis tempore, id est, à Calendis  
 Novembris usque ad Pascha, juxta  
 considerationem rationis *b*, octavâ ho-  
 râ noctis *c* surgendum est, ut modico  
 amplius de mediâ nocte pausetur *d*, &  
 jam digesti *e* surgant. Quod verò *f* re-  
 stat post Vigiliâs *g*, à Fratibus, qui Psal-  
 terii vel Lectionum aliquid indigent,  
 meditationi inserviat *h*. A Paschâ au-  
 tem usque ad suprascriptas Calendas No-  
 vembris sic temperetur hora Vigiliarum  
 agenda *i*, ut parvissimo intervallo, quo  
 Fratres ad necessaria naturæ exeant cu-  
 stodito *l*, mox Matutini *m*, qui inci-  
 piente luce agendi sunt, subsequantur.

Pro

Pro intelligendâ ratione temporis hîc & deinceps assignati, prænotandum est, S. Patrem non numerâsse horas eo modo, quo nunc fit in Italiâ, ubi à sole occidente usque ad solem iterum occidentem in horologiis designantur 24. horæ; nam aliàs præscribere inferius non posset horam Etam pro prandio: Nec eo modo, quo extra Italiam passim, itâ, ut 12ma semper sit & in meridie, & in mediâ nocte: Sed more antiquo, in Italiâ & omnibus ferè locis olim recepto, itémque in Actis Apostolorum & Evangeliiis usurpato, quo ab ortu solis usque ad ejus occasum computantur 12. horæ diei, & rursus ab occasu solis usque ad ortum 12. horæ noctis. Porrò sicut dies naturalis dividitur in 24. horas æquinoctiales ceu partes æquales, itâ dies artificialis, & nox similiter, dividebatur in 12. horas inæquales: non quòd unius ejusdemque diei aut noctis horæ essent inæquales inter se; sed in comparatione horarum nocturnarum, ad diurnas vel sequentes nocturnas, & contrâ, quæ aliquando istis longiores, aliquando breviores erant, aliquando plura, aliquando pauciora minuta continentes extra tempus æquinoctii: cùm è diverso

nostræ

nostræ horæ semper sint æqualiter magna,  
 & constantes 60. semper minutis tam die,  
 quàm nocte. Nunc ad textum ipsum.

- a) Id est, primâ die.
- b) Id est, habitâ ratione spatii nocturni pro  
 illo tempore.
- c) Quæ apud nos est circiter 2da nocturnitas  
 cum enim quælibet istarum 12. noctis ho-  
 rarum tempore hyemali constet 70. circiter  
 minutis, omnes simul acceptæ facient apud  
 nos horas 14. Octo verò, horas novem  
 cum 20. minutis: ac proinde factò compari-  
 tu à medio 5ta nostræ vespertinæ [hinc  
 enim circiter correspondet prima noctis  
 hyemalis in Italiâ, more veterum à solis  
 occasu desumpta] devenietur ad horam  
 ferè 2dam noctis.
- d) Sive quiescatur, vel dormiatur.
- e) Id est, postquam habuerint debitam diges-  
 tionem ciborum &c.
- f) Subintellige, de tempore nocturno.
- g) Quæ modò Matutinum nuncupari solent.
- h) Guido Juvenalis legendum putat: à Fra-  
 tribus, nisi qui, id est, qui non indigent.  
 Recentiores versiones Gallicæ faciunt hunc  
 sen-

sensum, ut residuum à Matutinis tempus inserviatur sive impendatur meditationi Psalterii vel habitarum lectionum, ab iis, qui indigent. Smaragd. Turrecrem & alii meditationem accipi volunt paulò latius pro quocunque studio religioso, ità, ut, qui indigent aliquid Psalterii vel lectionum aut omissum repetere, aut memoriter ediscere, aut ruminari, illud residuo hoc tempore agant.

i) Id est, tali tempore peragatur Matutinum.

l) Seu reservato, vel interposito.

m) Subintellige, Psalmi vel Hymni, id est, Laudes sic dictæ à matutâ seu aurorâ, eo quod incipiente luce sint persolvendæ.

II. FEBR. 12. JUNII. 12. OCTOBR.

CAPUT IX.

Quanti a Psalmi dicendi sint nocturnis horis b.

**H**yemis tempore, præmisso imprimis Versu: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina;